Statuti municipali

di

Montesanto

del

1545.

In Dei Nomine Amen

Hęc sunt Statuta, ordinamenta, et reformationes condita pro bono pacis, et justitię augumento egregię Terrę Montis Sancti, ejusque Comitatus, Territorii, et Districtus Dominii inclitę, et invictissimę Civitatis Spoleti, ejusque strenui, ac pręstantissimi Populi, revisa, correcta, et emendata per Peritissimos, ac Disertissimos Jurisutriusque Doctores Dnum Joannem Baptistam Leoncillum, et Dominum Andream Parenzium ejusdem Civitatis Spoletanę electos, assumptos, et specialiter deputatos per magnificos Dominos Dnos Priores ejusdem Civitatis, et per ipsius generale Concilium ad revidendum, corrigendum, et emendandum infrascripta Statuta, Capitula, et Reformationes scripta, copiata, transumptata, et exemplata per me Hieronymum Mamilianum Sr Christophori Mamiliani de Spoleto publicum, et imperiali auctoritate Notarium, et Judicem ordinarium, a generali arenga Comunis, et hominum dictę Terrę Montis Sancti ad hoc specialiter deputatum, et ad prę=sens Spectabilis, et discreti Viri Claudii Gradoni, et de Spoleto honorandi Potestatis prefatę Terrę Montis Sancti pro prelibata magnifica Civitate Spoleti Vicarium Actuarium, et coram eo Scribam. Sub annis

Domini Nostri Iesu Christi millesimo quingente=
simo quadragesimo quinto, Indictione tertia, tem=
pore Domini S.mi in Christo Patris et Domini Nostri
Dñi Pauli divina providentia Papę tertii, incępta
die nona mensis Septembris, et perfecta die vigesima
mensis Octobris dicti anni. Ideo in hanc publicam
formam redegi, et ad fidem, et testimonium omnium,
et singulorum pręmissorum signum, nomenque meum
apposui consuetum.

Signum mei Hieronymi Notarii supradicti

Liber quartus damnorum datorum

De facientibus damnum in frumentis, et in omni genere bladorum, et frumentorum, et segetum, et leguminum, et in omni genere fructuum arborum, et in hortis, et in aliis fructibus

R.ca 1.a

Statuimus, et ordinamus, quod nemo audeat, vel presumat facere damnum aliquod in frumentis, in hordeis, neque etiam in aliquo genere frumentorum, bladorum, seu segetum, seminum, vel frugum, neque in aliquo genere leguminum, neque etiam in croco, neque in canepis, neque in lino, neque in aliquo genere fructuum, arborum, neque in hortis, colligendo caules, lactucas, allia, cepas, porros, radices, rapas, et alia similia existentia in hortis, in agris, in vineis, vel alibi, neque etiam in pratis falciando, et metendo herbas cum falce de mense Maij, et Iunii; fructus autem arborum supradictorum intelligimus de fructibus arborum existentium in terra

cultivata, et de illis fructibus, qui sunt de usu humano, non autem de glandibus, et fructibus silvestribus: si quis vero repertus, et inventus fuerit contra faciens, et reus in aliquo supradictorum damnorum, ipso facto incidat in penam viginti solidorum et dictam penam viginti solidorum cogatur solvere imponendam in Cippo Comunitatis, et applicandam dicte Comunitati, de qua Executor habere debeat quartam partem, ac etiam cogatur emendare damnum et restituere damnum passo secundum extimationem proborum, et bonorum hominum, et ista supradicta de damno dato ab hominibus et personis rationabilibus colligendo fructus, vel meterdo cum falce frumenta vel herbas in pratis; et ista pena intelligatur pro qualibet persona, pro quolibet loco, et qualibet vice; sed si fugiendo aliquod animal transiret per loca predicta, et pastor, vel patronus, vel alia persona ad reparandum, vel capiendum dicta animalia, vel ad fugandum ea de predictis locis, ne damnum facerent, volumus quod non incurrat aliquam penam, nec possit cogi, vel molestari, nec requiri ad solutionem alicujus pene.

N.B. Quel viginti solidorum da mano più recente è stato convertito in viginti libris

De pęna damnum dantium cum bestiis in vineis, pergulis, et plantatis arborum juvenibus. R.ca II.a

Statuimus, et ordinamus, quod si aliqua bestia magnarum, bovina, mulina, caballina, vel equina, asinina, caprina, et porcina, quę nos volumus adnumerari, et intelligi inter animalia grossa et magna, damnum dederint in aliqua vinea vel pergula, vel vite, vel aliis quibuscumque de mensibus infrascriptis, scilicet Martii, Aprilis, Maij, Junii, Julii, Augusti, Septembris, 8bris comedendo uvas, vel deguastando, et comedendo vites, dominus, et patronus dictorum animalium teneatur, et cogatur solvere pro qualibet bestia grossa supradicta, et pro qualibet vice, et pro quolibet loco solidos duodecim denariorum applicandorum dictę Comunitati; pro bestia vero minuta, quę damnum dederit ut supra, dominus, et patronus earum teneatur solvere pro qualibet sex denarios et qualibet vice .... (lo spazio punteggiato è inintelligibile) ....

teneatur ad medietatem dictę pęnę, videlicet pro bestia magna et grossa solidos sex, pro quali=

bet porcina bestia ... ...
volumus quod ... ... animalium ... ... excedens
vitatum mensem non teneantur ad aliquam
penam, et si damnum datum fuerit per dicta
animalia grossa et magna ut supra in aliis ar=
boribus sicut sunt plante juvenes arborum fru=
ctiferum, vel aliarum arborum plantate juvenes,
et mundate, et gubernate ut crescant, immo il=
las imminendo, et adherendo vites, si damnum dede=
rint eas comedendo vel deguastando, teneatur patro=
nus, et dominus solvere pro qualibet bestia, vice,
et loco solidos sex, simili modo si damnum dederint
in frumentis, hordeis, et in omni genere frumento=
rum, et liguminum, et frugum, et segetum, in
croco, et zaffirano et in canepis, et linis, et in omni=
bus fructibus seminatis, vel positis, vel ~~sublatis~~ plan=
tatis, teneatur dominus earum pro qualibet bestia
grossa et magna de mensibus infrascriptis scilicet
Aprilis, Maij, Junii, Julii, ~~solvere~~ solvere solidos
quatuor, et pro qualibet bestia minuta scilicet capra,
pecude, et castrone solidum unum; de ceteris autem
mensibus pro bestia grossa teneatur solvere solidos
duos, pro bestia vero minuta denarios tres, et si con=
tigerit, quod aliquis laborator, vel colonus laborando,

et seminando transiret per possessionem vicinam semi=
natam, et per eam conducent aliquam bestiam ad la=
borandum, et seminandum aptam, et necessariam, volu=
mus, quod non incidat, nec teneatur ad aliquam pe=
nam de mensibus infrascriptis, videlicet Septembris, et
Octobris; Sed si aliqua bestia grossa, et magra damnum
dederit in pratis, teneatur Dominus, et Patronus solve=
re pro qualibet, et vice qualibet de mensibus Maij, et
Iunii solidos quatuor, et pro qualibet capra, et bestia
minuta denarios sex.

De pena damnum dantium in frumentis, et leguminibus
R.ca III.a

Si aliqua persona damnum dederit in frumentis, legu=
minibus, et similia existentibus in area, vel in agro
post messem, videlicet in metis, incidat in penam pro
qualibet persona inventa, et reperta damnum dare
in predictis, videlicet abstulendo, et asportando, quadra=
ginta solidorum, dummodo quodvis scilicet granum, et
legumen ablatum non excedat valorem quadraginta
solidorum, et si excesserit, puniatur pena furti, et si in
predictis metis, et frumentis damnum datum fuerit
per animalia, videlicet comedendo, et deguastando, et
si fuerint animalia magna teneatur Dominus eorum
pro qualibet solvere solidos sex, pro aliis vero anima=

libus minutis solidum unum, et nihilominus in omnibus predictis teneatur dans damnum, seu dominus animalis dantis hujusmodi damna resarcire damnum datum Domino.

De pena animalium forensium damnum dantium, vel pasculantium sine licentia in Territorio Montis Sancti

R.ca IV.

Statuimus, et ordinamus, quod Forenses teneantur solvere pro qualibet bestia grossa dante damnum, vel pasculante in Territorio Montis sancti decem solidos, et capra intelligatur bestia grossa, et pro qualibet bestia minuta duos solidos, et hoc capitulum intelligatur contra Forenses tantum in quocumque loco Territorii Montis Sancti, et per loca inculta, nonobstante aliqua licentia, conductione, et pacto cum aliquibus terris convicinis hactenus per nostros predecessores factis: que omnia auctoritate presentis Statuti irritamus, et annullamus, et per irrita, et annullata haberi volumus.

De pena damnum dantium in vineis, et portantium plures quam tres raspos uvarum

R.ca V.

Statuimus, et ordinamus, quod quelibet persona

sive masculus, sive femina fuerit homo, videlicet quod humana, et rationabilis creatura fecerit, vel dederit aliquod damnum in aliqua vinea, vel vite non sua, sed aliena colligendo uvas sive agrestas, si fuerit de nocte solvat penam decem librarum denariorum pro qualibet vinea sine aliqua diminutione et si de die fuerit factum tale damnum solvat penam medietatis videlicet quinque libras pro qualibet persona, et pro qualibet vinea, et pro qualibet vice, exceptis forensibus, adveris, et extraneis, quorum si aliquis repertus fuerit in vinea aliqua in Territorio Montis Sancti, et non fuerint habitatores et incole dicte Terre et Territorii et transeuntes, et peregrini, tunc cogatur quilibet repertus, et pro qualibet vinea, et pro qualibet vice unum Carolenum solvere pro pena, si non colligerit ultra, et supra tres raspos, si vero colligerit plusquam tres raspos, puniatur, et cogatur solvere penam supradictam sicut ille qui est oriundus, et habitator dicte Terre et Territorii, videlicet decem libras denariorum, si repertus fuerit de nocte, si vero de die medietatem, videlicet quinque libras denariorum. Simili modo statuimus, et ordinamus quod quelibet persona supradicta, sive sit

oriunda, et nativa de dicta Terra Montis Sancti, et ejus Comitatu, vel Territorio, vel Districtu, vel Incolę, et habitatores ejusdem vel eorumdem, vel Forenses, et adverę, et Extranei, sive transeuntes, et peregrini, si reperti fuerint in vinea, vel extra vineam colligisse vel secum ferre et portare ultra, et supra tres rappos uvę pro qualibet persona, et plures quam tres rappos, tunc cogatur quęlibet persona portans, aut colligens plures quam tres rappos uvę pro quolibet rappo uvę solvere pęnam viginti solidorum, sed non pro illis tribus rappis, de quibus solis erat licitum, et permissum, et teneatur Domino vineę, et patienti damnum emendare, et restituere ab eo illatum pro arbitrio et extimatione proborum, et bonorum hominum. Si vero aliquod animal, vel animalia intrarent aliquam vineam, et similiter si pastor, vel patronus, et dominus, et alia persona intrarent dictas vineas ad capiendum, et separandum, vel fugandum dicta animalia, ne damnum darent, si non colligant uvas, volumus quod non incurrant in aliquam pęnam, et non possint cogi, nec molestari ad solutionem alicujus pęnę, nisi ad emendandum, et restituendum damnum

secundum extimationem proborum, ac bonorum hominum

De pena forensium incidentium ligna in Territorio Terre Montis Sancti

Rica VI.

Statuimus, et ordinamus, quod nullus Forensis audeat, vel presumat incidere vel facere ligna, vel aliquod genus lignorum amputare intus Territorium dicte Terre Montis sancti, et qui inventus fuerit contra faciens incidat in penam unius floreni pro quolibet, et vice qualibet, et unicuique licitum sit eumdem forensem inventum, et repertum incidere, et amputare ut supra arrestare, retinere, et conducere ad Curiam dicte Terre qui habeat, et habere debeat pro suo labore et industria medietatem dicte pene, et alia medietas applicetur Comunitati, et Potestati dicte Terre equali portione.

De testibus examinandis in causis criminalibus, vel super denunciationibus, et inventionibus dictis super omnibus causis publicis

Rica VII.

Statuimus, et ordinamus, quod Potestas, et Vicarius dicte Terre Montis sancti teneatur, et debeat in

Causis criminalibus omnibus, et quibuscumque, et super omnibus denunciationibus, et inventionibus di=ctę nostrę Terrę, et super omnibus et singulis Causis publicis examinare sigillatim, et diligentissime om=nes, et singulos testes, et personas quascumque ad te=stificandum inductas sine aliqua mercede, et sine aliquo lucro, vel salario, et quod pro examinatione omnium et singulorum supradictorum Testium ni=hil possit petere, nec exigere, et nihil recipere, vel habere debeat, nec retinenere possit sub pęna uni=us ducati aurei si contrafecerit quocumque modo.

De pęna pascurantis, vel dantis damnum in terris si=gnatis aliquo signo

Rica VIII

Statuimus, et ordinamus, quod nemo audeat, vel pręsumat pascurare pascua facere cum aliqua bestia, vel cum aliquo animali cujuscumque generis, neque per se ipsum personaliter, neque per alium quocumque modo de mense Aprilis, Maij, Junii, Julii, Augusti, Septembris facere aliquod damnum falciando, meterdo, vel colligendo her=bas, vel aliud quodcumque in terra, agro, vel prędio alieno signato cum aliquo signo consueto, vel

cum aliquibus signis, cum quibus soliti sunt di=
cti agri signari pro herba custodienda, pro feno
falciando sub pena, et ad penam .....
(la carta qui trovasi abrasa) pro qualibet bestia gros=
sa, et magra, et sub pena sex denariorum pro qualibet
bestia minuta; et pro qualibet persona rationabili
meterte, vel falciante, et cum falce colligente her=
bas sub pena octo solidorum; qui agri, et predia, et
terre signatę supradictę volumus quod ita custodi=
antur, et conserventur sine aliquo datio, ac si es=
sent bandita, proclamata, et promulgata alta
voce preconis in platea, et in scalinis palatii, et in
locis consuetis, et dicta bannimenta essent registrata
in Libro Potestatis, seu Vicarii dictę Terrę Montis
Sancti sub penis predictis, et quod teneatur emen=
dare damnum passo.

De pena incidentium silvas, et arbores mundatas, et
custoditas ut crescant, et etiam arbores fructi=
feras

R.ca IX.

Statuimus, et ordinamus, et prohibemus, ne nemo au
deat, vel presumat incidere silvas privatarum per
sonarum, neque etiam arbores, quercus juveres,
et alias arbores, plantas vel natas, vel mundatas

et custoditas, et gubernatas, ut crescant, sub pęna
duodecim solidorum pro quolibet, et qualibet vice. Si
vero esset arbor fructifera vitis, volumus quod in=
cidat in pęnam unius floreni monetę qui incide=
ret eam a pede, et prope contiguam terrę, vel
taliter quod perderet fructum trium annorum,
vel plurium. Si vero inciderit, vel scorciaverit eo
modo unam pergulam, vel ejus arborem, vel ar=
borem amindolę, vel olivę, vel arborem mori, vel
mororum, sive mori sive nigri vel albi, vel alias ar=
bores pomorum, et fructuum quorumcumque, vel
insitos factos in arbore, volumus quod incidat in pę=
nam unius Ducati aurei, et quod teneatur emen=
dare, et restituere damnum passo: Si vero es=
sent vites, pergulę, olivę, mori, amindolę, nuces,
vel alię arbores supradictę in terris incultis, nudatis,
vel silvestribus, volumus quod eas incidentes, vel ca=
vantes nullam pęnam incurrant, sed impune fa=
ciant quidquid agunt. Volumus autem, quod
si quis incideret, vel scorciaret super tres arbores,
vel vites, puniatur per Potestatem dictę Terrę
in libris quadraginta denariorum, prout appa=
ret in Libro Mattorum in Capitulo dicto
Co. . . . . nto; secundum quod volumus puniri

trasgressores, et incidentes, et scorciantes ultra tres vites, sive arbores fructiferas ut supra, vel arbores, in quibus vites adnexe fuerint.

De Minoribus dantibus damnum

R.ca X.

(Qui la carta pecora è lacerata, e perciò non è possibile a ritrarsi.)

De pena dantis damnum in bonis forensium.

R.ca XI.

(Milita la stessa ragione)

Quod non teneantur ad penam bestię damnum dantes per argillum

R.ca XII.

Statuimus, et ordinamus, quod siquis damnum dederit in aliquibus bonis cum aliquibus bestiis, quę aufugerint, vel scappaverint per argillum, sive per timorem, et parum damnum fecerint, dominus bestiarum ad bannum minime teneatur.

De portione Potestatis de penis damnorum datorum

R.ca XIII

Statuimus et ordinamus, quod Potestas, sive Vicarius dicti Comunis, qui pro tempore fuerit, habeat,

et habere debeat de omnibus, et singulis bannis, et quantitatibus pecuniæ per eum exactis de damnis datis, et quæ pervenerint in dicto Comuni occasione denunciationum fiendarum per Valdarios pro suo labore duodecim denariorum pro qualibet libra, et quilibet Valdarius habeat, et habere debeat pro suo labore de eo quod pervenerit in Comuni predicto occasione denunciationis per eum fiendæ tres solidos pro qualibet libra.

De modo, et ordine tenendo in emendatione damnorum datorum = R.ca XIV.

(Qui manca lo scritto, perchè lacerata la carta pecora —)

De pena dantis damnum in bonis banditis — R.ca XV.

(Mancano due righe iniziali per l'addotta ragione, e nella pagina che segue leggesi quanto appresso)

cum bove, asino, equo, vel mulo solvat bannum pro qualibet bestia, et vice duos solidos, si vero fuerint cum pecudibus, vel capris, solvat bannum pro qualibet vice, et bestia sex denarios. In terris vero incultis volumus quod non incurrat aliquam penam, sed si damnum datum

fuerit per personas rationabiles, videlicet transeundo per loca bandita, volumus quod incurrant pœnam duorum solidorum. —

Quod quilibet debeat tenere canem ligatum.

R.ca XVI.

Statuimus, et ordinamus, quod quilibet habens canem in Monte Sancto, et ejus Districtu teneatur ipsum canem tenere ligatum a Kalendis mensis 7bris, donec vineę Districtus Montis Sancti erunt vindemiatę ad pœnam trium solidorum pro quolibet, et qualibet vice, et hoc non vindicet sibi locum, cum aliquis inveneretur, et rediverit venandum, si canis non fuerit ligatus.

De pœna pascurantis in Costa Montis Sancti

R.ca XVII.

Statuimus, et ordinamus, quod nulla persona de Monte Sancto, vel aliunde debeat pasculare in Costa Montis Sancti cum bestiis a Colle Arce Veneris, prout recte trahit murum Comunis, usque ad Saxum Canalis, prout recte trahit ad Turronem Saxi Capitis Terrę intus, Et qui contra fecerit solvat bannum pro qualibet bestia grossa duodecim denarios, et pro qualibet bestia minuta tres denarios.

De fructibus cadentibus in via, et super viam publicam, vel viam comuralem inter vicinos

R.ca XVIII.

Statuimus et ordinamus, quod si quis recolligerit poma, vel fructus aliquos, qui, vel que ceciderint ex arboribus in via, vel supra viam publicam, vel comunem inter vicinos non incurrat aliquam penam, et quod ex predicta causa nullo modo possit cogi, vel molestari: Si quis vero in vinea, vel agro suo recolligerit fructus cadentes ex arboribus vicini sui, sicut sunt arbores, qui stant in agro vicini prope semitas, et confines; volumus quod in vinea sua, vel in agro suo cadentes possit impune recolligere, et asportare sine metu, et timore alicujus pene.

De pena cavantium propagines, seu arbores silvestres de vineis, ordinibus, et terris cultivatis

R.ca XIX.

Item statuimus, et ordinamus, quod nemo audeat, vel presumat cavare, et auferre propagines, salices, arbores silvestres existentes in vineis, vel terris cultivatis, et si quis inventus fuerit contra faciens, incidat in penam pro qualibet persona, et qualibet propagine, vel magliolo, salice, vel arbore viginti solidorum denariorum.

De pena incidentis in sylva Vallis Nibbii

R.ca XX.

Statuimus, et ordinamus quod nemo audeat, vel pre=sumat incidere, vel tagliare in silva Vallis Nibbii aliquod genus lignorum sub pena, et ad penam unius floreni monete pro qualibet perso=na, et qualibet vice.

De pena dantis damnum in glandibus, et foliis arborum, et avellanis

R.ca XXI.

Item statuimus, et ordinamus, quod si aliqua persona colligerit glandes de quercu aliena existente in terra cultivata, incidat in penam decem solidorum pro qualibet, et qualibet vice si damnum datum fuerit in dictis glandibus per animalia tam magna quam etiam parva, teneatur Dominus earum pro qualibet, et qualibet vice solvere solidum unum. Sed si aliqua persona damnum dederit in ulmis existentibus in terris cultivatis, ~~et p[illegible]~~ de mense Septembris, et Octobris videlicet colligendo folia, incidat in penam quatuor solidorum pro qualibet persona, et pro qualibet vice. Sed si aliqua persona damnum dederit in avellanis gentilibus exi

stertibus in terris cultivatis, et prope vineas eas colligendo, incidat in penam quinque solidorum pro qualibet persona, et vice.

De pena damnum dantium in vineis et aliis terris cultis, et incultis, vel auferendo palos, et alias speties lignorum

R.ca XXII.

Item statuimus, et ordinamus, quod quelibet persona rationabilis tam de dicta Terra Montis sancti quam forensis habitans in comune in dicta Terra supradicta, que damnum dederit in alienis vineis, et terris cultivatis videlicet auferendo palos, ficiuolos, perticas, et alias speties lignorum, incidat in penam viginti solidorum pro qualibet persona, et qualibet vice. Item quod quelibet persona ut supra, que ex sylva alterius abstulerit ligna incisa, et facta, et in parculos collecta, eadem pena puniatur.

De pena dantis damnum in carespis, et auferendo, vel deguastando

R.ca XXIII.

Item statuimus, et ordinamus, quod nemo audeat, vel presumat facto aliquo damnum dare in carespis, vel purgaturo ut maturentur, et si damnum datum fuerit per personas rationabiles, videlicet auferendo

incidat in penam vigenti solidorum pro quolibet et vice qualibet, si vero per animalia cujuscumque generis, et speciei eas pedibus sguastando, vel comedendo, teneatur dominus, et patronus pro quolibet solvere solidos duos, et damnum emendare patienti.

De pena dantis damnum in frumentis, et vineis transeundo

R.ca XXIV.

Item statuimus, et ordinamus, quod si aliqua persona rationabilis damnum dederit in frumento, hordeis, et aliis generibus bladorum, et leguminum, videlicet transeundo de mensibus Aprilis, Maij, Junii, et Julii, incidat in penam pro qualibet persona, et vice duorum solidorum, de aliis vero mensibus non teneatur ad penam nisi fuerit bandita; et si colligerit persona rationabilis ut supra transiens per vineas alterius de mensibus infrascriptis, videlicet Maij, Junii, Julii, augusti, Septembris, et Octobris usqueque non fuerit vindemmiatum, incidat in penam trium solidorum pro qualibet vinea, et persona, et vice.

Quod unicuique liceat colligere uvas, et poma, que remanent in vineis, et arboribus postquam fuerit vindemmiatum.

R.ca XXV.

Item statuimus, et ordinamus, quod unicuique liceat qualibet anno a die vigesima Octobris usque ad mensem Aprilis inclusive impune colligere uvas et poma que remanent in vineis, et arboribus postquam fuerit vindemiatum, et a dicta die.

De pena Vallarii non denunciantis qualibet die dominico.

R.ca XXVI.

Item statuimus, et ordinamus, quod quilibet Vallarius electus et deputatus per generale Concilium dicte Terre Montis Sancti, ut consuetum est, teneatur, et debeat vinculo sui prestiti juramenti qualibet die dominico denunciare, et notificare Offitiali damnorum datorum dantes damnum, et in predictis delinquentes etiam sub pena quinque solidorum pro qualibet Vallario, et qualibet die, si non denunciaret, et reportaret dicto Offitiali damnum dantes ut supra.

Quod Offitialis damnorum datorum possit precipere damnum dantibus ne recedant de palatio, et pastori bestiarum ut indicent damnum bestiarum.

R.ca XXVII.

Item statuimus, et ordinamus, quod Offitialis damno=
rum datorum qui pro tempore erit, possit preci=
pere, et mandare hominibus, et personis reper=
tis, et inventis damnum dare, vel dominis be=
stiarum repertarum ut supra ne discedant de
palatio donec, et quousque non solverint pe=
nas per ipsos, vel per bestias inventas, et incursas
sub pena, ad penam quadraginta solidorum, et
qui contrafecerit puniatur in pena predicta
per Potestatem dicte Terre, et applicetur dicta
pena pro tertia parte Camere Comunitatis pre=
dicte, pro tertia parte Potestati, et pro alia tertia
parte ~~Potestati~~ Offitiali predicto. Item si per di=
ctum Officialem fuerit requisitus pastor, ut sibi
diceret quis est dominus, et patronus bestiarum
inventarum ut supra facere damna, dictus Pastor
si habuerit octo annos, teneatur, et debeat dicere, et
significare dominum bestiarum dictarum Offitiali,
et si recusarent, incidat in penam viginti solidorum:
Item volumus, et ordinamus, quod Offitialis damno=
rum datorum qui pro tempore fuerit, possit con
ducere unum Custodem, et Guardianum, et expende=
re bolorenos tres sumptibus, et expensis illius, cui
contigerit facere dictam custodiam, si eam facere

neglexerit, et non venerit in tempore debito, et de mensibus Iunii, Iulii, et Augusti, ac Septembris possit emere dictam custodiam, et expendere boloneros sex pro quolibet die sumptibus, et expensis ut supra, ac conditione apposita, quod Custos, qui per unam diem erit, non possit esse custos die sequenti, et si esset, non credatur.

De auctoritate Offitialium damnorum datorum, et eorum pena

R.ca XXVIII.

Statuimus, et ordinamus, quod cuilibet Offitiali damnorum datorum, et ejus Custodi licitum sit impune transire per eas vineas, et possessiones Territorii dicte Terre Montis Sancti, dummodo quod ipse Offitialis, et Custos non colligant uvas, poma, agrestas, neque frumenta, vel aliquod genus leguminum, et si per dictos Offitiales, et Custodes contra factum fuerit predicta colligendo, puniatur per Potestatem dicte Terre in duplum illius pene, in qua esset puniendus si esset alia persona de dicta Terra secundum formam presentium Statutorum, et similiter puniatur dicti Offitialis familia, si inventa fuerit facere damnum, et facere contra formam presentium Statutorum, et similiter

in duplum puniantur ejus bestię et animalia, et unicuique licitum sit eumdem Offitialem Custodem et familiam, et animalia prędicti Offitialis accusare Dno Potestati dictę ~~Potestati dictę~~ Terrę, et credatur dicto accusanti cum uno teste, et unicuique liceat eumdem Offitialem, Custodem, et Familiam perquirere, seu cercare, si portaverint plures quam tres raspos uvę, et si prędicti recusarent, incidant in pęnam viginti solidorum pro quolibet, et vice qualibet; quę pęnę exigantur a supradicto Potestate dictę Terrę, et applicentur per medietatem Comunitati ejusdem Terrę Montis sancti, et pro alia medietate Potestati predicto. Item volumus, quod si aliqua persona de Monte sancto, seu Forensis ricusat, et nollet permitti, se ipsum perquirere et cercare Offitiali damnorum datorum, incidat in pęnam viginti solidorum, et predicta Statuta in pręsenti libro damnorum datorum contenta volumus, inviolabiliter observari, et habere locum in pręteritis, et in presentibus, et in futuris.

Finis

Liber quintus = Extraordinariorum =

Quod nemo possit plantare arbores prope aream alicujus

R.^ca V.

Statuimus, et ordinamus quod nemo audeat, vel presumat ponere, vel plantare arbores prope aream alicuius murum, vel fractam, propter quod, vel quam impediretur, vel impedimentum faceret alicui ad ventulandum, et qui contrafecerit solvat damnum viginti solidorum pro qualibet vice, et persona, et nihilominus dictum ingomoramentum debeat elevare, et nulla persona debeat plantare aliquas arbores prope vineam alicujus ad unam perticam intus, ad dictam penam, et nihilominus dictas arbores elevare teneatur, et hoc Capitulum non intelligatur de domibus noviter factis edificandis ——

De seminando omnia genera leguminum.

R.^ca XV.

Statuimus, et ordinamus, quod omnes homines de Terra Montis Sancti, qui tenent boves, et tenent aratra, et culturas agrorum, et omnes qui non habent boves si super agros suos, et terras suas seminant omni anno duas salmas grani sive per se ipsos, sive per alios faciunt seminare, quod teneantur, et sint obligati singulis annis seminare de omni genere leguminum, et seminum infrascriptorum in magna, et pauca quantitate, prout eis videbitur, et placebit, et si non de omni genere, ad minus de

14v

quinque generibus, videlicet seminare fabas, ciceres, lentes, ciercham, bisellos, roveglias, milium, rapas, carapam, linum, et ponere cepas, vel cepollas crochi, seu zaffi-rani sub pena decem solidorum pro quolibet, et quolibet anno qui non adimpleverit, vel qui contra fecerit; sed qui seminaverit de quinque generibus de seminibus, et fructibus supradictis intelligatur satisfecisse presenti Statuto ad hoc ut ex eorum fructibus et copia possimus facere vigilias, et quadragesimas, et observare jejunia, et ut vita nostra sit vita innocens sicut columba, que vivit de frugibus terre, et non sicuti Corvus, qui vivit ex cadaveribus mortuorum.

De pena extrahentis aquam de cursu suo consueto

R.ca XVII

Statuimus, et ordinamus quod nemo sit ausus trahere aquam de cursu antiquo, vel consueto, nec impedire aliquem cursum, nec mittere, vel dirigere aquam per locum non consuetum, propter quod faciat damnum alicui Consorti, seu Vicino ad penam viginti solidorum pro qualibet vice, et persona, et nihilominus teneatur reducere dictam aquam per locum ~~non~~ consuetum, ~~propter quod faciat~~ et damnum patienti emendet, salvo si esset de voluntate Consortium, sive adiacentium, et si quis celaverit, vel privaverit aliquam venam aque, ad quam irent ad bibendum

homines, vel ad colligendum aquam, teneatur ipsam aquam reducere ad pristinum statum, et solvat damnum centum solidorum, et hoc locum habeat in preteritis, presentibus, et futuris, et bandiatur.

De pena retinentium capras

R.ca XXVII.

(Hoc Capitulum fuit sublatum)

De vindemiis fiendis

R.ca XXXI.

Statuimus, et ordinamus, quod omnibus, et singulis dicte Terre Montis sancti, et ejus Comitatus Territorii, et Districtus, et eorum incolis, et habitatoribus licitum sit in prima die Lune mensis Octobris, et postea dictis omnibus sequentibus quandocumque vindemiare, et vindemias in vineis suis facere, et colligere omnes uvas, et asportare in domum suam quolibet anno sine pena, et banno, et quod a dicta die prima Lune mensis Octobris predicti quomodolibet occasione vindemiarum factarum, a nullo possit aliquis impediri in dictis vindemiis, neque pro eis molestari nec in judicio, nec extra, nec a Potestate dicte Terre, vel ejus Vicario, et ejus Curia, nec ab alia persona quacumque

(Leggesi poi in margine = Vedi a Carta 79. = questa carta però ci manca, mentre non oltrepassano il n.° 76.)

15

De pena capientium columbos.

R.ca XXXIII.

Si quis ceperit, vel interfecerit columbos cum archibusis, vel aliqua alia machina, vel instrumento, incidat in penam quadraginta solidorum pro quolibet columbo, et procedatur contra transgressores per Potestatem dicte Terre per inquisitionem, et per accusationem, et credatur accusatori cum uno teste, ac etiam possint transgressores ut supra puniri per Officialem damnorum datorum per inventionem, et similiter in predictis puniantur Venatores, qui reperti fuerint tendere retia, et laqueos columbis.